

/ Sigismundus Dei gratia Rex Poloniae, magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Mocoviae, Samogitiae Livoniaeque, et nec non Suevorum, Gottorum Vandalorumque hereditarius Rex. Ill/me et Rmo in Christo Patri Dno Roberto S.R.E. Cardinali Bellarmino amico nostro charississimo et honorando salutem et omnem felicitatem.

Ill/me et R/me in Christo pater amice noster charissime et honorande. Ea R/dus in Christo Pater Dominus Joannes Andreas Pruchinchi Episcopus Camenecensis in munere episcopali singulari cum laude obeundo specimina dedit, ut virtutem, et industriam ipsius majori fastigio dignam rati, vacantem hoc tempore Archiepiscopatum Leopoliensem nominatione nostra ad ipsum deferendum putaverimus. Petimus itaque per literas nostras à S.D.N. ut et nominatum eum nostrum ad Archiepiscopatum eundem auctoritate apostolica transferat, et cum ex episcopatu Camenecensi, quem hucusque obtinuit excursionibus et depredationibus Tartarorum per triennium proximum infestato vix ullum jam diutius fructum perceperit, et Archiepiscopatus Leopoliensis licet secundum in Senatorio Regni nostri ordine locum obtineat, primae fundatione exiguis admodum, et dignitati illi tuendae, nequaquam sufficientibus proventibus dotatus et instructus sit; expeditione quoque et extinctione sacratae gratiam illi facere Abbatiae Sieciechoviensis quam hucusque una cum episcopatu Camenecensi possedit, retinendae jus tribuere velit. Ad ea omnia rite, atque ex sententia conficienda si Paternitas quoque vestra apud S.S. diligens studium, et operam suam contulerit, gratum id nobis ecclesiaeque rationibus accomodatum erit, et idque ut faciat diligenter a Paternitate vestra postulamus cui mutue vicissim benevolentiae nostrae studia deferimus eamque quam felicissime valere cupimus. Datum Varsaviae die XVI mensis Julii A.D. MDCXIV. Regnorum nostrorum Poloniae XXVII Suetiae XXI.

Sigismundus Rex.

30 (adresse):

Ill/me et R/me in Chr'o P'ri Dno Roberto Sac. Rom. Eccl. Cardinali Bell/no amico nostro Charissmo et Honor'd/me.